



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Amicitia firma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A nerint, in vitiorum tamen amaritudinem dilabuntur, eaq; salugine corrupti, syncera vitæ suavitatem careant, cum manifestum sit, in tota hominū vita nihil dulcius innocentia reperiri, peccato vero nihil amarius: etiam si quædam aspectu primo dulcia videantur. Sic apud Salomonem legitur Ecclesiaste: *Nam, in novissimis, inquit, amarius felle invenies, quod initio dulce videbatur.* Faciunt ad hoc & Græcorum fabulæ. Nam Arrianus in Indiæ descriptione fuisse ait insulam incultam in Erythræo mari, Nofolam nomine (sed Notoram apud Stephanum legere est) centum ferme stadiis à litore distantem, quam indigenæ Soli sacram esse affirmarent, in quam nemo tranfret, aut si tranfisset, non amplius appareret: quoniam eam una Nereidum incoleret obscuro nomine, omnibus viris qui eo navem appulissent, commiseri solitam, ac eos postea in pisces converfos in mare demittere: quo scelere iratum ei Solem, ex insula migrare iussisse, neq; eam renuisse; precatam tamen, ut insita sibi voluptatis appetentia evanesceret, Deumq; optatis annuisse, ac omnes, quos illa veneficiis mutarat in pisces, in homines rursum ex piscibus commutasse, unde Ichthyophagorum genus emanarit, Ovidius tamen ait eam in piscem mutatam, eoque modo libidinis pruritus extingui potuit, si modo hæc, eo loco in-

Lib. 4 Metamorph.

B telligenda:

*Nais, an ut cantu, nimiumq; potentibus herbis,
Vertereat in tacitos juvenilia corpora pisces,
Donec idem passa est.*

Atque alibi apud eundem auctorem pisce legas Venerem latuisse: fufus enim fugatusq; Veneris ardor, quoniam evadat nisi ad frigidam piscium naturam, in quibus nullus alimenti fomes, quo iterum succendi queat? Hinc nostris etiam jejuniis piscis apponitur: ut ejus cibo lascivix calor tepefiat atq; hinc etiam occasio aliqua castimonix requiratur. Neq; obstant quæ superius de maris & maritimarum salacitate disserimus: quia piscium genus, ut nonnulli disputant, tametsi degat in mari, ἀργύρεον tamen ea de causa mare sæpius Homero dicitur, quod fructum nullum gignat, sed fluviorum & imbrium dulcis humor per antiperistasin amaritudinis corruptus, atq; in sese collectus, veluti calor in aëre frigidior deprehensus, per frigidioris venti colluctationē in fulmen abit: ita hic frigida materia quæ nonnihil terreni secum traxerit, intra calidam comprehensa, varia piscium genera producit, quorum insitum frigus tepore inde maris facile confovetur. Non enim omnia piscium genera C progenerat: argumento est, quod simulac in mare pluvia deciderunt, Solq; flagrantivus per sudum irradiarit, extemplo videas superficiem maris innumerabilibus pisciculorum animulis pullulare: in quibus infinitus Aquarum numerus, quæ à Græcis ἀφύου, quod ex pluvia generantur, nomen accipere: ostrea tamen ac conchylia, quæ libidinosa diximus, plus aëris admittunt, ac perinde spumosa sunt, & salugini coalita & applicita: quare minimè mirum si accidat hæc falaciora fieri. Atqui non hic testacea neq; crustacea inter pisces assumimus, sed duo illa tantum genera, quæ initio posita sunt, vel lubrica, vel squamosa: in his enim nostra plurima dictio versata est: quamquam Manilius eos qui Pisces horoscopus habuerint, libidinosos futuros præfagit Astronomicon III.

*Scilicet in piscem sese Cytheræa novavit,
Cum Babylonicæ summersa profugit ad undas,
Anguipedem alatos unguet Typhona ferentem,
Inseruitq; suos squamosis piscibus ignes.*

AMICITIA FIRMA. CAP. X.

D Alioqui sal amicitix symbolum fuit durationis gratia: corpora enim solidiora facit, & diutissimè Hinc illud conservat, unde hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitia firmitas ac perseverantia significetur: Quare pleriq; ominosum habent, si sal in mensam profundi contigerit: contra τρεπτεζαν vero faustum, si vinum atque id merum effusum sit. Vel, quia velut ex aquis sal multis & fufilibus μη ἀδρα in unum quoddam & solidum coit, ita ex diverso convenientes in unum animi coalescant, fiatque Platonicum illud, πῶτα ψυχῆ.

A MUSIS ET GRATIIS ALIENUS. AP. XI.

Sed ut ad piscem revertamur, cum animalia reliqua terrestria quam volatilia, multa dent & ingenii & docilitatis experimenta, soli pisces indociles prorsus & stupidi sint, præter pauca admum, quæ vel in Delphino, vel in paucissimis aliquot admiramur, mos apud Ægyptios inoleverat, ut cognomento Piscis hominem à Musis & Gratiis alienum cavillantes appellarent. Sed qui piscium partes